ELEGIAE DE ALOYSII JUNTINII MORTE [ODOARDUS LINOLI]

Odoardo Linoli

ELEGIAE

DE

ALOYSII JUNTINII

MORTE.

FLORENTIAE,
APUD ATTILIUM TOPHANI
1825.

ERUDITISSIMO

MEDICA - CHIRURGICA FACULTATE, CAETERISQUE DISCIPLINIS

CLARISSIMO VIRO

PHILIPPO UCCELLIO

ODOARDUS LINOLI

DE FIVIZZANO

D. D.

Quae gravissimo correptus moerore, Aloysii Juntinii, Clarissimi viri, morte condideram, quaeque postea ejusdem novis justis, memoria revocata, carmina sum prosecutus, ad meum tum dolorem, tum grati animi sensus erga illum significandum; nam et

adeo Chirurgica arte praestitit, ut suae facultatis omnium facile princeps et haberetur, et esset, et ea fuit humanitate, ut nulli, opem ferens, aspera quaeque tum medendo, tum dictis, aspectuque ipso levando, temperata deliniens, defuerit, et nemo alius in beneficiis promerendum proclivior ferretur; haec, inquam, superiorum jussis adactus, vulgaturus, nulli quam Tibi, Vir Clarissime, Praestantissimeque melius dicaverim.

Te nimirum Juntinio, donec vita superfuit, arcta necessitudine conjunctum, et eo fato functo, unum, in quo Chirurgica facultate, caeterisque disciplinis florentissimo, praesidium sibi, decusque non dicam Etruria, sed Italia etiam, finitimaeque regiones excolunt, atque suspiciunt.

Utinam, quo in tantum virum, in me quoque ejus morte, patre ferme orbatus, aliquo amore illectus, tenue hoc munus favens amplectaris, benignoque excipias animo.

Omni tibi servitute dicatum
O. L.

CLARISS. VIRI

ALOYSII JUNTINII

EXUVIIS ITERUM EXPOSITIS.

ELEGIA I.

Ecquid lugubri Fidium modulamina nervi
  Strident? Quae raucos elicit aura sonos? . . . .
Heu fletus, gemitumque atro, quo, funere mersum
  Persequar, heu! reddas murmure, Plectre, tuo.
Quaeque diu ob saevum lacrymae jam hae sere dolorem,
  Perfundant tristes largius usque genas.
Voxque, et suspiria, horrendo instar fulmine tacti,
  Gelida, magnanimi funere pressa viri;
Erumpant modo: justa ita tristia solvam
  Sicque colam mortis, qui modo victor erat.
Juntinio eheu! Juntinio funestus adempto
  Diffluit Arnicolis, pallidiorque dies!

Juntinio eheu! Juntinio, quam Tuscia rapto,
Ausonia, ac Alpes congemuere ferae?
Nec deflebo ego! ... nec sedet imo in pectore moeror!
Tuque pius lacrymis abstinuisse jubes .....
Septima purpureis fulsit Titania bigis
Cum subito est oculis visus adesse meis.
Quam diversus erat! quam multa in luce coruscus!
Vix molles fletu substinuere oculi
Coelestes tenui artus velabatur amictu
Ceu sol cum nivea nube repente nitet.
Augustum rutilo diffuderat ore decorem,
Comis at horrisoni, ut caderet ira maris.
Doctaque perpetuis redimitum tempora sertis
Gloria, et ovantem est sors (1) comitata virûm
Obstupui, prensoque anceps in imagine vultu,
Haesi, tum motu, tum sine voce silens.
Linguaque magno mox animos agitante tumultu,
Juntinium! . . . Coepti at destituere sonos.
Clarius exarsit, roseoque, Adsum, edidit ore,
Intendens oculos, quam modo, fide, gemis.
Laeto unde, aeternoque beamur numine divum,
Sydereum Caelum, sub pedibusque nitet,
Qui tibi, sensi, doctorumque, Accepte, laborum,
Insedit sociis, ob mea fata dolor;
Sensi, et commoveor: sed enim qui (2) stata moventur
Rerum? quid tanti caussa doloris inest?

(1) Sors virum, idest sors virorum = L'umanità.
(2) Idest quomodo.

Haud ita me creditum aeterno plexurus amore
Perpetuo poscis? pulvis, et umbra fui.
Nec vita est vestrum hoc labens, quod ducitis aevum,
Horrent, quae effertis laeta, rigentque malis.
Nunc equidem vivo, nunc lethae horrentia noctis
Sperno, nec obliqua mordeor invidia.
Laetare ergo nondum, o, caecis functe periclis.
Jugi, te salvo, felicitate fruor.
Quod duce, si trepidusque patre terreris adempto,
Naturae expeteres, quo moderante adytus;
Aspice virtutis dudum, quem Fata dedere
Uccelium comitem, hoc tu duce carpe viam.
Scilicet et mihi par est ipse, arcanaque rerum
Tamque patent illi, nec minus ipse valet.
Hoc studiis esto macte, hoc nitaris ad astra
Sospite et hoc gaude, me referente, diu.
Dixit, et altum caeruleus secessit Olympum,
Purpureis caelo quaque rubente focis.
Dextera cernuus excepi praesagia: tanti
Fata viri, sed jam non doluisse, nefas.

DE ALOYSII JUNTINI MORTE

AD ILLUSTREM ET EXIMIUM

JOSEPHUM MARIAM COCCHI

DE FIVIZZANO.

ELEGIA II.

Ergo ne Juntinius superis concessit ab oris?
  Juntinium atro mors funere saeva tulit?
Corpora Juntinium immiti subducere morti!
  Et validum morbos explicuisse feros!
Abstulit, et nequidquam moestis hospes in oris
  Heu quaeres Arni, quem pius ore colas!
Quam cernis nostrum nigrans tegit urna dolorem,
  Et quid perdidimus tristius ipsa docet.
En squallet Libitinae illustri e caede trophaeum
  Doctorumque madent fletibus ora virûm.
Aspice funereis circum moerentia vittis!
  Quique Geni tumulo florea serta locant!

Illum sydereis tellus quaque objicit astris
Quae rerum causae, quidve cuique proprium est.
Quae morbûm ratio, venae, tactusque magistri
Musculi, et illectis quae ossibus ossa movent.
Hunc, divinae effert quem robur ad aethera mentis
Oblivia, et mortem perdomuisse juvat.
Juntinii infausta pressi cecidere ruina
Qui vixere simul, decubuere simul.
Decubuere simul? Quid? adhuc non vescitur aura
Aetherea, domitis viribus, Orce, tuis?
Vescitur, et sublimi ducet pectore vitam:
Gloria post, clarum, fata superstis agit.
Intonat haec voce, et mota sublatus in urna
Juntinius croceis vestibus almus adest.
Ipse est: Agnosco veteris vestigia formae,
En vultus, cilia, en fronsque, comaeque suae:
Hinc rerum exultans natura nitet: jacet illinc
Quod morbi miseris ingruit ante viris.
Loquitur et rerum penitus quae arcana secretis
Latent, coelesti disserit, ecce sono.
Ut tenebris actis, ubi certa in imagine verum
Insueto templum tramite mirus adit.
Errorum ut doctis removet fallentia dictis!
Illustre ut nomen non nocuisse potest!
Audio instrumentum valeat quid certius ordo:
Quid quaeque efficiant, qui usus habendus erit.
„ Audio animantum revocent quae in pectore vires,
Et modo jam prosint, quae nocuere prius.

Cunctaque, dum stupeo, radiis patefacta coruscis
Ingenii miror clara repente sui
Ducebant equidem huc tenerae praesagia mentis
Purpureo effusis flore virente genis.
Nam nasci, et studiis vidit, juvenilibus annis,
Inter longaevos, eminuisse senes
Arnus. Tum rutilas solis nitidissimus instar,
Lumine suffudit quae nituere faces.
Non fugit hoc Floram, quae tanto dives alumno
Ingenium precox obstupuisse ferunt.
Non Adriam, Alphaeamque gravem pelagumque potentem
Trestem, ac Austriaco flumina laeta Deo.
Scilicet, et sibi praesidium coluere decusque
Cernere cum tantum fata dedere virum.
At seros olim tanget quae fama nepotes
Si nuper vivi, ut numinis ardor erat?
Maximus, en dicent, labentia saecula, prodit
Quid vir medicea nobilis arte valet.
Horrendam toties qui tunderit Atropos iram
PRINCIPIS en merito cura, decorque sui.
Is vivens fuit, ac aeternum ita juro manebit:
Effigiem tanti nunc animi hospes habe.
Qua et totum Nereus fluctu circumsonat orbem,
Quem tantum referat, garrule, pande virum.
Nempe hic: Juntinium fato cecidisse referres
Agi sed fama non metuente mori.
„ Audio, qua aeterni voluit mens Numinis arte
Quo nexuque artus conseruisse viri.

A. ☧. Ω.

ALOYSIO · JUNTINIO · FLORENTINO ·

VIRO · MED.CÆ-CHIRURGICÆ · ARTIS · PRÆSTANTIA ·

SPECTATISSIMO ·

QUI ·

IN · R · S · MARIÆ · NOVÆ · NOSOCOMIO · LITHOTOMUS · CLINICUS

OPERATOR · AC · HISTORIOGRAPHUS · CHIRURGUS ·

R · G · JUSSU · EGIT ·

QUEM ·

EMERITUM . MEDICES . PROFESSORUM . ACRIUM . MORBORUM . VALETUDINE .

UBIQUE · INSTAURATA · AC · MORTALITER · ADFLICTIS ·

ITERUM · AC · SÆPIUS · VITÆ · RESTITUTIS ·

PROPULSOREM ·

OPTIMUM . NATURÆ . DELICATISSIMIS . CERÆ . OPERIBUS . ÆMULUM .

AC · SUÆ · ACADEMIÆ ·

SOCIUM ·

FLORENTIA . PISÆ . ADRIA . TRIESTIS . ISTER . NON . SINE . VERENDO . ANIMI

SENSU · AC · MOTU · SUSPEXERE ·

OMNIUM · DESIDERIO . CUM . FLORÆ . HETRURIÆ . ITALIÆ . EUROPÆQUE . LACRYMIS

NEC · NON ·

SUORUM . PRINCIPUM . QUOS . PENES . MEDICAM . OPERAM . DIGNE . POSUIT .

INGENTI · LUCTU ·

TRANQUILLA · QUIDEM · SED · IMMATURA · MORTE · SUBLATO ·

MOERENTES · DISCIPULI · H · M · PP · TENUE · AC · LABILE ·

PRO · EO · QUOD · SUAVISSIMI · NOMINIS · MEMORIA ·

IN · OMNIUM · CORDE · EXCITAVIT ·

OBIIT · A · N · S · MDCCCXXIV · KAL · FEB ·

ANNO · ÆTATIS · SUÆ · LX · NONDUM · EXACTO ·